Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 1071
Quelle:
Copyright:

cula ſeculorum amen. Menda Sermonis hujus inde potiſſimum proveniunt, quod fugientes quandoque primae manus ductus imperitior altera reficere conata eſt. Ex τῷ *Sponſi aperiamus* vel *operiamur*, ut habet *Maffaeus*, *aduentum* mihi videtur inſcribendus fuiſſe non *in Natale*, ſed *in Ordinatione Sancti Zenonis*; prius enim Feſtum agitur 12. *Apr.* poſterius autem 8. *Decembr.* utique in *Aduentu.*

Sermo cujus ſupra In Die Ordinationis uel Natale Epiſcopi.

Moyſes magiſter ouium, cum ad eum crepitantis rubi flamma loqueretur, quę ſub ſpecie coloris ignei lambebat hirſutos frutices, non urebat, mutare conpellatur officium paſtorale, ut, cui antea lanigeri gregis fuerat mandata cuſtodia, poſtmodum fluctuantis populi regimen ſuſtineret. Sed hic, quem diximus, Moyſes imparem ſe pro rerum magnitudine diuinis fatetur imperiis. Renitentem increpatio cęleſtis obiurgat. Suſcepit ergo gentis ſuę faſtigium principale, uirtutibus ſignisque metuendus, ut profanam Aegyptum non ſolum uerbis argueret, ſed etiam prodigiorum uerbere caſtigaret. Et ſi tantus propheta, et qui dicitur amicus Dei, tam inmenſi operis pondere expauit, neſcio, Fratres kariſſimi! qua ratione me inutilem rebus arduis commiſiſtis plus humano iudicio, quam diuino. Ueruntamen eius miſericordię reputandum eſt, qui me imperitum omnium rerum ad hunc ſacerdotii apicem per ſuam gratiam ſuſcitauit. Ipſe eſt, qui prophetas de paſtoribus facit, de piſcatoribus reddit apoſtolos, permutat homines ad ſalutem, de lupis agnos, ouiculas nouit transformare de beſtiis. Et ſi parua licet componere magnis, Petrus apoſtolus retia ſeculi deſerens fit alius de piſcatore piſcator, ut, qui ante (rete?) *captorium iaciebat in pelago, uerbi nunc retia ſpargat in mundo; tunc enim piſces, nunc homines ſagenis ſpiritalibus inretiuit. Matheus quoque publicanus de teloneo ſurgens talenta numerat feneranda credentibus, et ad menſam dominicam euangelii prędicator intendit. Ecce ordinationis meę iam plurimum tempus euoluitur.* (Diu igitur praefuit.) *Ubi eſt lucrum dominicę* (pecuniae?) *quam fenerandam diſpenſator accepi? Uereor, ne ſerui deſidis crimen incurram, niſi duplicata Patrifamilias talenta reſtituam. Laboris mei quęſtus in ueſtro pendet arbitrio. Theſaurum Domini de ueſtris profectibus ampliabo, ſi uos in iudiciis integros, ſi tenaces iuſtitię, ſi religioni deditos, ſi miſericordia liberales, ſi concordiam pacemque ſectantes, ſi ſanis moribus fulgentes, in uniuerſis denique uirtutibus inrigatos expectatio paterna miretur. His opibus regię facultatis cenſus augetur, his pontifices Dei fructibus gloriantur. Uos hereditas Domini, uos regni coeleſtis futura poſſeſſio, uobiſcum mihi dari deſidero, quidquid a Chriſto fidelibus uernulis reſeruatur. Sola mihi eſt aeternitas*

(aeter-